Expedita.
Sera.
Diù lata.

Respectu excessus, seu
Grati nimiùm
Erga quos? Putà erga
Doctos.
Reges. ibid.
Milites. 901
Coquos.
Adulatores.
Delatores.
Bruta.

Ob quid? Putà ob
Institutionem quamlibet
Judicium.
Urbem conditam.
Liberalitatem.
Hospitalitatem.
Fidem in patriam. 902
Liberationem.

Gratitudo bestiarum erga heros, nutritores, benefactores; utputà
Grataè in Benefactores
Aves
Aquila.
Accipiter.
Fringilla. ibid.
Ciconia. 903
Pelicanus.
Cucuphas.
Grus.

Pisces
Scombri.
Delphini.
Balenæ.

Serpentes
Draco.
Serpens, & leo.

Quadrupedes
Panthera.
Leo. ibid.
Lynx. 904
Canes. Vide *Canes*.
Equi. Vide *Equi*.

GRAVIDÆ. Vide *Prægnantes*.

GRAVITAS pro verborum, morumque severitate, quid? ibid.
Ejus exempla, & apophthegmata Ethnicorum, & Christianorum. ibid.

GUBERNATIO, Gubernator quid, eorumque etymologia. ibid.
De gubernationis bonæ laude, & ratione apophthegmata, & exempla Ethnicorum, & Christianorum. 905

GULA quid, & unde dicta? ibid.
Quot modis committatur? Ejus descriptio poetica, apophthegmata & exempla. ibid.

GUSTUS quid, & qualis sensus? ibid.
Ejus necessitas, & organum. 906
Gustus intemperantiæ perniciosæ, & moderationis, exempla biblica, & historica. ibid.

GYMNASIA. Vide *Academiæ*.

GYMNOSOPHISTÆ qui, & apud quos fuerint? ibid.

GYNÆCEA quæ, & apud quos? 907
Intrare viris ea vetitum. ibid.

GYNÆCOCRATIA quid, & quàm perniciosa? ibid.

FINIS.

THEA-

THEATRI VITÆ HUMANÆ,

AUCTORE

LAURENTIO BEYERLINCK,

ARCHIPRESBYTERO ANTVERPIENSI,

TOMUS TERTIUS,

Continens Litteras E. F. G.

** Asterisci Titulis, sive Generalibus, sive Secundariis, Rebusve iisdem contentis præfixi, posterioris Auctarii sunt indices.*

* Ebrietas.

A DEFINITIO, ETYMOLOGIA, ET ACCEPTIO.

EBRIETAS Græcè μέθη, unde μεθυσὸς ebrius dicitur. Cæterùm Ebrietatis vox dupliciter usurpatur: semel, ut sit idem, quod satietas. Et in hac significatione inebriari est, largè & liberaliter bibere, citra tamen vitium, & excessum, ac servata sensuum mentisque integritate. Quomodo *Ioseph* in scriptura legitur inebriatus cum fratribus suis *Gen. c.* 34. non enim sanctus ille Patriarcha intemperantiæ insimulari debet, sed intelligendus est textus, ait *S. Hieron. in tradit. Hebr. in Gen.* juxta idioma linguæ Hebraicæ, ut inebriari significet satiari, sive abundanter & hilariter bibere. Quomodo illud verbum explicat quoque *S. Aug. in Ps.* 74. in illum locum, Visitasti terram, & inebriasti eam, &c. & de sanctis dicitur, Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.

B Aliter; estque communis acceptio, usurpatur, ut sit excessus in potando causa voluptatis, usque ad violentam rationis privationem, vel interceptionem. Vocatur Hebræis *Schacar*, quod immoderatam ingurgitationem significat, verbum cognatum alteri verbo *Schackar*, i.e. scurriliter agit. Nam ebrii scurriliter se gerunt, & omnium se ludibriis sannisque exponunt. Sunt qui volunt, ebrietatem dici à voce BRIA, quæ mensurâ significat, sic ut ebrietas velut potatio sine mensura dicatur.

C VITIUM DETESTANDUM.

INCOMMODA, ET FRUCTUS NOXII.

EBRIETATIS vitium Scriptura pluribus locis inculcat, & tanquam vitiorum omnium maximè detestandum execrandumque proponit; ejusque mala enumerans, primùm ebriosos à regno Dei eliminat, *Is.* 5. 1. *Cor.* 6. Deinde per ebrietatem mentem alienari, *Prov.* 23. *Eccl. c.* 19. *Esa. c.* 28. Libidinem inflammari, *Prov.* 10. *Eph. c.* 5. Enervari corpus, *Prov.* 11. Dissipari substantiam, *ibid. c.* 25. Discordiam excitari, *ib. c.* 20. & 23. *Eccl. c.* 31. Secreta manifestari, *Prov.* 31. *Abac.* 2. & D aliis propè infinitis testimoniis docet.

Si SS. Patrum censuram requirimus, suis coloribus depictam reperiemus ebrietatem: ex multis pauca testimonia damus, quæ sint instar omnium. Quid Ebrietas? Audi *S. Basil. hom. in Ebriet.* Est dæmon voluntarius, malitiæ mater, virtutis inimica, virum fortem reddit ignavum, ex temperante facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit. Quid est Ebrietas? Audi *S. Ambr. de Elia & Jejun. c.* 6. Est fomentum libidinis, incentivum insaniæ, venenum insipientiæ.

Audi etiam *S. Hier. in c.* 5. *ad Gal.* Ebrius est homo, nec mortuus, nec vivus.

Nec aliter S. Augustinus de hoc vitiorum omnium fomite E sensit ac scripsit: Ebrietas est fomes libidinis, quo per carnes vaporantur interna viscera, animus ignescit. *Aug. in Epist.*

Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntatis, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. *Ad sacras virg.*

Ebrius assumit inter pocula injusta certamina, & nullis existentibus causis, asperam excitat rixam, quia interponendo verba vana, aliorum sana dicta non patitur audire; sed in contumeliam erigitur convivarum, & proximorum crimina. Vinum potatum moderatè, est medicamentum: plus justo sumptum, venenum esse cognoscitur. Jucunditati, non ebrietati F creata est vini materia. *Ibid.*

Nec aliter Hugo: Ebrietas judicium rationis offuscat: contentiones, & bella procurat: robur, & naturalem virtutem enervat: infirmitatem generat: mortem naturalem adducit: rebus temporalibus spoliat, & quod deterius est, divinam maledictionem inducit. *Hugo de S. Victore.*

Petrus verò *Ravennas* in quodam sermone ait: Ebrietas mater litium, furoris generatrix, petulantiæ magistra: hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum: hæc enim est rabies voluntaria, invita- G tus hostis, illecebra honestatis, & pudoris injuria.

Ubi regnat ebrietas, ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur. *Ibid.*

EBRIORUM MORES.

PLATO, in vino, ceu speculo, multorum ingenia videri atque cognosci posse, dicebat, ut citatur à *Plutar. lib.* 3. *Sympos.* Sic Antiphanes: Duobus exceptis, inquit, poteris omnia celare, vino nimirùm, & amore. Utrumque enim visu atque sermone prodit homines, licèt negantes, & dissimulantes. Itaque PITTACUS, teste *Athen. l.* 10. Periandrum Corinthium monebat, ne ebrius fieret, neque lasciviret: Ne noscaris, in- H quiens, qualis sis, neque etiam qualem te esse simules, cùm ut speculum æreum formæ, ita vinum mentis sit index.

Proverbium est, à tribus hominum generibus veritatem audiri, pueris, ebriis, & insanis.

Non ineptè ille ÆSOPUM increpavit: Quid quæris, ridiculum caput, illas fenestras, per quas alterius cogitationes quis intueri potest? vinum enim nos aperit, & ostendit, nec sinit nos latere, sed speciem atque larvam detrahit; lege tamen pædagogo longissimè remoto.

Plin. lib. 14. *cap.* 22. Tunc animi secreta proferuntur, alii testa-

A testamenta sua nuncupant, alii mortifera loquuntur, reditura-que jugulum voces non continent.

Bias cùm sibi objiceretur stoliditas à garrulo, eò quòd sileret: Ecquis, respondit, inter pocula tacere posset stultus?

Athenis quidam convivium regium legatis præbens, operam dedit, ut is, his cupientibus, philosophos eò dem vocaret. Ibi cum ultro citroque sermones miscerentur, Zenonem, qui tacitus se continebat, comiter allocuti hospites, cùm salutassent poculo: De se verò, ajebant, quid dicemus Regi? Respondit Zeno: Aliud nihil, quàm esse senem Athenis, qui inter pocula silere sciret.

Alios Ebriosorum ebriorumque mores depinxit *Homerus*.

——— Οἶνος δὲ ἀάσσει

Ἠ'λεός, ὅστ' ἐφίκῃ πολύφρονά περ μολ' ἀάσσει·
Καὶ δ' ἀπαλὸν γελάσαι, καὶ ὀρχήσαι τ' ἐνίκεν,
Καί τι ἔπος προέηκεν ὄπερ τ' ἄρρητον ἀμεινον.

Nam vinum, vel prudentem cantare coegit,
Et tenerum ridere, pedesque inferre choreis,
Atque tacenda loqui, nec idonea dicere dictu.

Bene Horat.

B *Quid non ebrietas designat? operta recludit,*
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes,
Fœcundi calices, quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum? Hor. lib. 1. Ep.

Et iterùm.

Vides, ut pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat unà,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ. Id. lib. 2. Ser.

Ebrios mores etiam *Ovidius* tetigit, vivisque coloribus depinxit, dùm ita cecinit *l. 1. de Arte amandi*.

Vina parant animos faciunt que coloribus aptos.
Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Nec malè *Propert. l. 2. eleg. ult.*

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,

C *Vino sæpe suum nescit amica virum.*

Hesiodus apud Athenæum l. 10. eleganter quoque complexus est vim & ferociam vini, atque ob id Bacchus μανάδης ejusque comites Bacchas, ab insaniendo Poetæ dixerunt, atque in Bacchanalibus festis clamores ab ebriis tollebantur.

Lepidum est, quod in symbolis veteribus Romanorum reperimus: Noe, qui primus vineam plantavit, quem Janum illi dicebant, miscuisse viti & vino sanguinem quatuor animalium, Simiæ, Leonis, Porci; & Agni. Quia vinum immodicè sumptum inebriat; & ebrios facit, vel moriones, quasi simias: vel alios pugnaces, & crudeles, quasi Leones: alios lubricos, & fœdos, quasi porcos: alios mansuetos, blandos, & pios, velut Agnos: refert *Corn. a Lapide in c. 9. Genes.*

Porrò Ebrietatis naturam, & incommoda, ac Ebriosorum mores hoc eleganti carmine depinxit *David Milesius in lib. suo de Ebrietate*, quam loquentem, & se prædicantem inducit.

Illa ego terrarum domitrix, Regina malorum,
Quæ clarum toto nomen in orbe gero.
D *Dux scelerum suprema vocor, vitiique magistra,*
Nil nisi dulce malum, nil nisi dulce nefas.
Mors animi, gratusque furor, blandumque venenum:
Morborum placidus fons, & amica lues.
Gurgulio, fundi barathrum, confusque vorago,
Ultio sum præsens, ipsaque pœna mihi.
Syrthis, Hydrops, Syren, Scylla, insacrata Charybdis,
Grandior & furiis omnibus esse feror.
Nam quæ gestarum surgat mihi gloria rerum,
Notum est Eois occiduisque plagis.
Nullus erat sævis unquam bellator in armis,
Qui dederit gelidæ millia plura neci.
Nemo tot impune cædes, tot funera nemo
Edidit, ac nostræ sæpe dedere manus.
Me fugiat Clerus, Princeps, Puerique, Senesque,
Quosque juvat Phœbi, aut Martia castra sequi.

EBRIETAS CASTITATIS HOSTIS.

Notum est illud *Terentii*, Sine Cerere, & Baccho friget Venus. Et *Tertul. l. 2. cont. Marc.* appellat ebrietatem fortationis comitem: *August.* castitatis naufragium: *Hieron.* libidinis incentivum; unde virginibus tantoperè vini usum E interdicit: *Plin.* ebrietatis præmium dicit esse libidinem portentosam (*l. 14. c. 22.*) ac jucundum nefas. Hinc etiam *Horat.* Craterem Veneris sodalem dixit. Et *Apulejus*, Lagenam Veneris gladiatoriæ antecœnium appellavit, quòd sit velut præludium, & præparatio ad Veneris palæstram. Ideoque & vinum lac Veneris dixit *Aristophan. apud Athen. l. 10. & Apulejus*, Venerem in cœna ebriam effingit, cùm interim esuriat Psyche. Ut certè magna est Veneris viniq; conjunctio, quod eleganibus versibus complexus est *Virg.* vel quis alius sub illius nomine.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Vno namque modo vina Venusque nocent.
Vt Venus enervat vires, sic copia vini,
Et tentat gressus, debilitatque pedes.
Multos cæcus amor cogit secreta fateri,
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum sæpè petit ferus exitiale Cupido,
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat.
Denique cum mentes hominum furiarit uterque,
Et pudor, & probitas, & metus omnis abest.
Compedibus Venerem, vinclis astringe Lyæum, F
Nec te muneribus ledat uterque suis.
Vina sitim sedant, natis Venus alma creandis:
Sed fines horum transiliisse nocet.

Sanè prudens, quamvis superstitiosa antiquitas, cùm non ignoraret, fomentum omnis nequitiæ esse vinum, fuit in illa persuasione, signum Virginis vitem ad interitum adducere, ejusque vigorem atterere. Unde cavendum monebat Orpheus, ne Luna signum Virginis percurrente, vitem seras; eam enim Virgo odio prosequitur. Cumque etiam sciret, linguam immodica vini potatione præpediri, statuit Mercurio supplicari, & sacrificari debere, non vino, sed lacte, ad ipsam eloquentiæ dulcedinem indicandam: & ad eam rem Romæ vicum destinavit, quem Sobrium appellabant.

Adjiciemus paucis, velut coronidis loco, incommoda ebrietatis ex iis, quæ paulò ante adduximus, eaque septem potissimù capitib. cõprehensa. I. Exhaurit facultates, unde graves afflictiones in familiis, liberis, negotiatione; fraudes, furta, & similia.

II. Corpus imbecille, enervum, morbidum reddit. *Chrysost. Hom. cont. Crapulam tom. 5. Aug. serm. 231. Basil. hom. in ebr.*

III. Reddit hominem inutilem ad quævis exercitia honesta, G
sive pietatis, sive politica, aut mechanica; adeoque usum vitæ auferat, aut impedit. *Aug. supra, & Chrys. etiam supra, ac Basilius.*

IV. Hominem bestiis assimilat, & iis viliorem facit. *Iidem ibid. ac iterum Chrysost. Hom. 58. in Matth.*

V. Secreta prodit, cujus rei multæ sunt historiæ. Hinc *Horat.*

Reges dicuntur magnis urgere culullis,
Et torquere mero, quos perspexisse laborant.

Videatur *Amb. c. 16. de Elia, & Jejun. Item fusè in loc. de Vino.*

VI. Ad mores inconditos, & gravissima scelera provocat. Docent exempla, quæ subjicientur, & descendit ad particularia *Basil. supr. & Hier. in c. 1. Epist. ad Tit. Ambr. etiam supra.*

Difficulter emendatur: quod iterum tangit Basil. suprà: August. verò remedium suggerit *Ser.* 231. cujus summa est, ut ebriosus quotidiè, sive ut loquitur ipse, per dierum intervalla de nimietate potus aliquid subtrahat, quousque ad rationabilem bibendi consuetudinẽ redeat. *Plura videat Lect. apud jam cit.*

☞ *Et amplificari præsens Titulus poterit ex loco de Vino, ubi multa de illius incommodis.*

☞ *Porro exempla eorum, qui bibendi avidiores; item modum, quãtitatẽ, qualitatem; eventus varios de potatione, & pe-* H
ne quicquid ad plenam hujus argumenti tractationem exigitur fusè tractavimus sub Titulo Bibacium sive Bibendi, in lit. B.

☞ *Nonnulla etiam inferri hùc poterunt ex Tit. de Propinatione, Poculorum varietate & Vino.*

APOPHTHEGMATA DE EBRIETATE.

In quibus plurima egregia, adversus etiam monita, & memorata paulo ante incommoda, breviter ac dilucidè recensentur. Ac primum. ETHNICORVM.

Pittacus rogatus, quam pœnam incurreret, qui per temulentiam quid sceleris commisisset? respondit: Duplicem, tum ratione temulentiæ, cùm ratione sceleris admissi. Solent autem homines extenuare malefacta velo velut ebrietatis. *Laer. l. 1. c. 5.*

Solonis lex erat: Princeps morte mulctetur, si deprehendatur ebrius. *Patri. l. 6. de regno c. 26.*

Percontanti Pythagoram, quid esset ebrietas? hoc responsi dedit, esse meditationem insaniæ. *Max. Serm. 31.*

Idem roganti, qua ratione ebriosus à prava consuetudine abiret: Si, ait, frequenter mente revolvat ea, quæ per ebrietatem facit. *Stob. Serm. 18.*

Demo-

A Democritus ridebat illos, qui potando vota diis pro sanitate præstabant, dicens, penès eos sanitatem esse, quam intemperanti luxu amittunt. *Idem.*

Idem dicebat, tres in vite nasci botros, quorum unus voluptatis, alter ebrietatis, tertius est injuriæ. Hoc *Max. Serm. 30.* Epicteto attribuit.

Ejusdem mentis erat Anacharsis, sentiens, parcum vini usum jucundum, quia sedat sitim; largiorem, gignere temulentiam; immodicum, molestiam, puta cædes, pugnas, rixas. *Laert. l. 1. c. 9.*

Redarguebat is quoque Græcos, quòd capacioribus cyathis sub finem, & minoribus initio convivii uterentur. Sentiens, potum non ad aliud adhibendum, nisi ad sedandam sitim. Absurdum igitur esse, tum plus bibere, cùm jam sitis esset sedata. *Laert. l. 1.*

Idem dicere solebat: Quicumque sobrius fieri vult, turpes ebriorum mores intueatur. *Plut. Stob.*

Plato, negabat oportere inebriari, præterquam in festis, in quibus ipse Deus vinum porrigit. Festos dies decet hilaritas, ebrietas semper fœda est. *Laert. l. 3.*

B Idem discipulos suos admonebat, ut se ebrios in speculo contemplarentur: Sic enim fore, ut dum faciem suam furibundam, & phrenetico similem intuerentur, in posterum ab ebrietatis vitio abhorrerent. *Fulg. 7. c. 1.*

Idem dicebat, animi mores in vino apparere, ac gubernatorem ebriosum, & quemvis cuicunque rei præfectum, omnia subvertere, sive navigium, sive currum, sive exercitum, sive quamcunque rem fidei suæ commissam. *Stob. serm. 18.*

Idem, manifestum esse dicebat, non modò senem bis puerum fieri, sed inebriatum quoque. *Eod. serm.*

Diogenes, videns hominis vino deditissimi ædes venales esse, ex januæ inscriptione: Minimè dubitabam, inquit, quòd vini crapula excussa, facilè domum evomeres. *Bruf. l. 1. cap. 19.*

Idem, vinum plurimum in convivio quodam dono acceptum effudit, quod cum quidam indignè ferrent: Si, inquit, vinum omne ebiberem, non tam liquorem, quàm meipsum quoque perderem. *Stob.*

Idem Adolescentem stupidum mero, & prorsus desipientem intuitus: Adolescentule, ait, temulento satus es patre. *Stob.*

C Zenonem Citricum summa verecundia colebat, pretioq; habebat Rex Antigonus. Accidit igitur, ut aliquando vino supra modum impletus, obviam Zenoni fieret: quem osculatus est atque amplexus, ut temulentus, petiitque, ut sibi quid juberet. Et interposito temerè sacramento, confirmavit, se præstiturum, quicquid postulasset. Tum ille dixit: Abi, & evome. Gravi sapientique reprehensione simul temulentiam ejus taxans, simul verò cavens, ne nimia commessatio potatioque ei nocumentum adferret. *Ælian. l. 9. var. hist.*

Sophocles vitio vertebat Æschylo, quòd ebrius scriberet. Nam etsi benè scribit, inquiebat, nesciens tamen id facit. *Stob. serm. 18.*

Cleostratus, cuidam ei dicenti: Non te pudet ebrium fieri? respondit: Te verò non pudet ebrium monere? *Ant. & Max. serm. de ebrietate.*

Leontychidas, percontanti cuidam, cur parcè biberent Spartiatæ? Ne, inquit, pro nobis alii consultent. Sensit autem vir clarissimus, eum nequaquam salubriter de rebus consultare posse, cui sanum judicium à vino ablatum sit. *Bruf. lib. 1. c. 19. ex Plut. in Lacon.*

D Agesilaus, cùm in compotatione quadam, sortibus ex more ductis, factus esset princeps convivii (hujus autem partes erant præscribere, quantum quisque biberet) rogatus à pincerna, quantum cuique vini deberet apponere: Si multum, inquit, vini paratum est, dato cuique, quantum poscit; sin parum, cunctis ex æquo dividito. Hac dexteritate mirè prospexit, ne vel parata vini copia deesset, quibus placeret largior potatio: vel ad bibendum cogerentur, quibus placeret sobrietas. Rursus in maligniores vini copia, per æqualitatem exclusit rationem murmuris. Etenim cùm singulis æqua vini portio distribueretur, nihil deerat his, qui bibebant moderatiùs: qui largiùs fuerant bibituri, cùm haberent, quod naturæ satis esset, queri non poterant, si deerat libidini, eo quòd nemo omnium plus, aut minus haberet cæteris. Itaq; æquis animis se illi quoq; ad moderationem componebant, quibus alioqui placebat luxus. *Plut. in Lac. Apoph.*

Crates conspicatus, adolescentem athleticum ebrietate, & gula corpulentiorem fieri: O miser, exclamavit, desine adversùs temetipsum carcerem munire. *Ant. & Max. ser. de incont. circ. mens.*

Philocrates, & Æschines, Atheniensium legati ad Philip-

pum Macedoniæ regem, cùm domum redirent, regemque eo E
nomine laudarent, quòd strenuè bibisset, respondit Demosthenes: Habet hanc virtutem cùm spongia communem. Sensit vir prudentissimus, Regum virtutes non in evacuandis poculis sitas esse. *Plut. in Demosth.*

Astyages cum rogasset Cyrum regem, quamobrem vinum non absorbuisset? Quòd metueram (inquit) medius fidius, ne in cratere mixta venena forent: Etenim cùm tu in natalitiis amicos adhibuisti, perspicuè didici, te eis venena infundisse. Et quo pacto, inquit, ò fili, hoc dignovisti? Quòd videbam vos, respondit, neque corporis esse, neque mentis compotes. *Bruf. l. 1. c. 19. Xenoph. in Prædia Cyri.*

Sparamizas Metrodoti, cùm per ebrietatem Cyri mortem aperuisset: Rectè, inquit, se habet illud, quod crebrò usurpatur à Græcis, Veritatem in vino esse. *Bruf. l. 1. c. 19.*

Androclides ad Alexandrum regem, vino plus satis deditum, dixisse fertur: Vinum potaturus, Rex, memento te bibere terræ sanguinem: cicuta homini venenum, cicutæ vinum. *Bruf. l. 1. c. 19. ex Plin.*

Stratonicus citharœdus natione Atheniensis, non minùs festivis dictis, quàm arte musica celebris, ad quietem iturus, F
assiduè jubebat puerum sibi infundere vinum: Non quòd sitiam, inquit, sed ne sitiam. *Athen.*

Plutarchus dicebat, Mundum igne & aqua corrumpi, luxuriosorum autem opus amore & ebrietate. *Ant. & Max. ser. de ebr.*

Democrates, cum temulentus, finito convivio, muliebri habitu saltasset, postero die venit ad T. Quintium, petens subsidium contra Messenios, quos ad defectionem ab Achæorum imperio pellicere conabatur. Cui Titus ait: Miror, te hominem vinolentum, meroque enervatum, hujusmodi res moliri, quæ virorum, non mulierum sunt. *Bruf. l. 2. c. 29. ex Plut.*

☞ *Hùc refer pleraque ex Superiori §. Ebriorum mores.*

Cicero, cùm in foro ambularet, & ei ad bibendum aqua oblata esset, vidit fortè L. Cottam censorem, hominem vino deditissimum, non procul astantem; cumque aquam Cicero accepisset jam hausturus, vocatis amicis: Circumtegite me, inquit, ne Censor me aquam bibere videat, & pro suo jure rationeque officii senatu amoveat. Notavit autem Cottę censoris vinolentiam, quam in aliis non reprehendere, verùm etiam graviter punire debebat. *Bruf. l. 1. c. 10.* G

Augustus Cæsar videns equitem in spectaculis bibentem, misit, qui illi suis verbis diceret: Ego si prandere volo, domum eo. Respondit eques: Tu enim non times, ne perdas locum. August. sensit, indecorum esse, illic in publico bibere. Eques per jocum sic interpretatus est, Cæsarem sine damno posse discedere à theatro; quòd locus ipsi servetur, equiti non item. *l. 6. apoph.*

Tiberius Imper. quoniam tiro in castris avidiùs bibebat vinum, militari joco, pro Tiberio Claudio Nerone, dictus est, Biberius Mero, *l. 6. apoph.*

Firmus Imp. vini patientissimus fuisse legitur, citra tamen ebrietatem. Quodam autem à barbaro vexillario ad bibendum provocatus, duas vini situlas hausit, & posteà toto convivio sobrius fuit. Cùm verò barbarus diceret: Cur non & fæcem ebibisti? Stulte, inquit, terra non bibitur. *Ex Vopisc.*

Bonosus, qui Imperator postea factus est, cum tantum biberet, quantum hominum nemo, Aurelianus urbanissimè dicebat: Non ut vivat, sed ut bibat, natus est. *Bruf. l. 1. c. 19.*

Vib. Crispus, summus Vitellii Imperatoris amicus, cum ob nocturnas commessationes, atque compotationes luxuriosissimas, in gravissimum incidisset morbum, & ita quidem vexaretur, ut Vitellianis conviviis interesse amplius nequiret, postquã H
paululum convaluisset, ad amicos dixisse fertur, se omninò fuisse periturum, nisi tam graviter laborasset. *Xiphil. in vita Vitell.*

Bonosus Imp. vir extremæ gulæ, & ebrietatis, cùm se suspendio suffocasset, interrogatus quidam, qui ejus mores, & vinolentiam noverat, quisnam esset suspensus? respondit, Non hominem esse, sed amphorum. *Vopisc.*

Anacharsis ab adolescente in convivio pulsatus: Adolescens, si nunc vinum non fers, ubi senueris, aquam feres? Nam qui bibunt intemperantiùs vinum, ea præsertim ætate, cui magis convenit aqua, ii frequenter senes ob inopiam coguntur aquam bibere. *Laert. l. 1. c. 9.*

Quidam in convivio videns uxorem Anacharsidis: Uxorem, inquit, duxisti satis deformem. Cui Anacharsis: Prorsus ita mihi videtur: sed heus puer, infunde mihi largiùs, ut reddam eam formosam. Indicare voluit vir sapientissimus, vinum immoderatiùs potatum adimere homini rectum judicium. *Athen. l. 9.*

Idem interrogatus, Num in Scythia essent tibicinæ? Respon-

A dit: Ne vites quidem. Significans saltationes, reliquasque ejus generis voluptates, è vinolentia nasci. *Laert. l.1. c.9.*

ERATOSTHENES dicebat, vinum igni æquale habere robur, quòd cum virum invaserit, eum, veluti Boreas, vel Notus mare Libycum, turbat, & confundit: occulta, & quæ profunda mente gerit, aperit & ostendit, virorumque totam mentem excutit. *Phavor.*

ÆSCHINES dicere solebat, speculum formæ esse æs, vinum autem animi. Voluit autem indicare vir sapientissimus, nil tam secretum esse animo nostro insculptum, quod homo ebrius non effutire audeat. *Max. ser.30. & Stob.*

ÆSCHYLUS ebrietatem tanquam pestem fugiendam suadebat; qui enim potus mensuram transgreditur, non ampliùs mentis, & linguæ compos est: sed sine pudore turpia, & indecentia loquitur, ex viro factus puer. *Phavorinus.* Verùm hoc alii etiam ad Theognidem referunt.

Quum Philippus Macedonum rex cognitionem exerceret parùm sobrius, ac perperàm adversùs Mulierem quandam tu-
B lisset sententiam: illa sentiens errorem esse vini, non regis, exclamavit: Provocarem, inquit, ad Philippum, sed sobrium. Excussit regi muliebre convicium temulentiam, adegitque, ut expergefactus, causam eandem animo præsentiori cognosceret. *Eras. l.8. apoph. Val. Max. l.1. c.2.*

Milites aliquot Tarentini inter cœnandum multa liberiùs dixerant in Pyrrhum regem. Res ad eum delata est: acciti sunt juvenes, ac periclitabantur omnes, quum factum nec negari posset, nec defendi. Tum unus illorum deterioris ingenii: Imò, inquit, rex, & ista diximus, & longè acerbiora dicturi fueramus, nisi nos lagena defecisset: linguæ petulantiam in temulentiam rejiciens. Itaque mox ira principis in risum versa, dimissi sunt. *Eras. 9. apoph. ex Plut.*

CLAUDIUS CÆSAR nunquam adeò animi sui secreta protulit, atque olim, dum multo vino madidus esset, ubi dixit: Sibi fatale esse, ut conjugum flagitia ferret, deinde puniret. Quæ vox terrorem non mediocrem injecit Agrippinæ. *Ex Suet.*

CHRISTIANORUM.

Turpissimum, dicebat Augustinus, vino obrui eum, qui ferro vinci nequiret: potandi libidine superari, qui bello non posset.
C Certè Basilius, quid esset Ebrietas, percontanti, respondit: Est Dæmon spontè admissus in animum per voluptatem: Mater malitiæ, impugnatio virtutis; ex forti timidum facit; ex modesto lascivum; justitiam ignorat, prudentiam abolet. *Ant. & Max. Serm. de Ebriet.*

F. Bernardino Palomo sæpiùs in ore: Vinum duo potissimùm mala comitantur: si namque dilutum sumas, ipsum corrumpis: si non diluas, ipse corrumperis. *Phoresta Beyerlinck in Apophthegm.*

Considerabat eadem Alphonsus Arag. Rex; ideòque rogatus, cur præter Magnanum morem vini expers viveret? respondebat: Vino sapientia obscuratur; quare non decet Regem, ut hujus immodica compotatione in animo extinguat illud, sine quo Imperatoris, aut Regis nomen tueri non posset. Sciebat enim, quòd

Nox & amor, vinumque nihil moderabile suadent.
Panorm. l.2. de ejusd. Gestis.

Aliàs per opportunitatem rogatus, cur vinum tanta aqua dilueret? Ne me, inquit, inebriet: Scio namque, quantùm Macedonis Alexandri gloriæ obfuerit ebrietas. *Ibidem.*

D Rursùs simile scisciranti, cur videlicet in tantùm Ebrietatem detestaretur? respondit: Quia scio, Furorem, & Libidinem ejus filias esse. Probè igitur monet *Horatius:*

At ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapythis rixa super mero
Debellata. —— *Ibidem.*

Addo facetum hoc nostri quondam Principis Caroli V. Imperat. Monebatur aliquando in castris, Germano militi legem daret ebrietatis vitandæ. At ille: Quid, inquit, Germanum Ebrietatem interdicerem? perinde id foret, ac si Hispanis furta, aut rapinas inhiberem. *Corozetus, & alii.*

FERDINANDUS Imp. Caroli V. frater Legatos Electorum, & aliorum Principum Germaniæ in Comitiis graviter objurgasse traditur, quòd munere suo neglecto, ebrietati, & calicibus epotandis studerent; dicebat autem: Mementote vos huc destinatos, non ut poculis, aut ebrietati vos dederetis, sed ut sobrii saniora consilia in medium consulendo conferatis, *refert Majolus colloq. de Aula & Caula.*

HIEROGLYPHICA.

Per Pantheram ebriositas intelligitur gieroglyphicè. Sunt enim Pantheræ vini admodùm avidæ, & à venatoribus E
ebriæ plerumque capiuntur, fontibus, quò potatum eunt, suavissimo, perveteri, potentique vino medicatis. *Pier. Valer. l.11. pag.103.*

Hominem verò ebrietate laborantem, ac sibi remedium comminiscentem, significare cum vellent Ægyptii, Upupam, & Capillum Veneris herbam pingebant. Upupa siquidem uvis vescitur immodicè, ita ut plerumque inde ebria fiat, & simul ac se tentari sentit, capillo Veneris decepto, efficacissimè sibi medicatur. *Idem l.25. p.235. Item l.58. p.562.*

* EBRIOSI, QUI POPULI.

Consulat Lector Cent. III. Miscellaneorum Justi Lypsii Ep. LI.

Populi φιλοινοὶ καὶ πολυπότται, ab *Atheneo l.10. c.4.* numerantur plures.

Tapiri adeò vini avidi fuisse perhibentur, ut nullo unguento, nisi vino, usi fuerint.

Phigaulenses semper in cauponis victitabant, eratque gens imbellis. Byzantii, licèt mercaturæ dediti, totam noctem potabant. F

Thyrinthii atque Argivi, in potando strenuè, in prælio effeminatè decertabant.

Milesii ebriosi erant, & simul ὑβρισταὶ, i.e. injurii.

Elienses vinolenti, atque mendaces.

Thraces omnes bibacissimi.

Chalcidenses, neglectis optimis institutis, potationibus se dedere.

Assyrii mulieres unà secum in cauponas trahebant, quas cuivis præsentium ad potandum provocare licebat, tandemque temulenti domum ab uxoribus ducebantur, & κακοβοιοὶ ob insignem luxuriam dicti.

Ariei singulis diebus inebriari soliti, tandemque à Celtis superati.

Ægyptii, quamvis destituti vino, hordeaceum vinum conficiunt, quo haud secùs, quàm vino obruti, lætari, cantare, & psallere consueverunt.

De Parrhis proverbio vetere dicitur, quò plus biberunt, eò plus sitire.

Apud Germanos, teste Tacito, diem noctemque continuare potando, nulli probrum; crebræque, ut solent inter vinolentos, rixæ, G
rarò absque conviciis, sæpiùs cædes, & vulneribus transiguntur.

De Græcorum bibacitate plenæ sunt veterum historiæ. Unde pergræcari, & græcari, est more Græcorum intemperanter bibere. *Horat. l.2. sat.2.*

☞ *Militia assuetum græcari, seu pila velox.*

REGES, PRINCIPES, &c.

☞ *Quare Titulum de Bibacibus.*

De Phagominio meminit Flavius Vopiscus in Aureliano, quòd tantum uno die comederit, ut aprum integrum, panes C. vervecem, & porcellum absumeret, biberitque in fundibulo apposito plus orca, i.e. cado salsamentario. Alexander Magnus pretium proposuit ἀκροποτοπιάς, i.e. meri potionis. Ex hoc genere fuere Philæni, sive ut Athenæi verba usurpem, Philotoconistæ, qui optabant in Galena converti, dummodò mare mutaretur in vinum præstantissimum, in quo continuò illis foret volutandum.

Quid verò illis aliud accideret, quàm Georgio Clarentiæ Comiti, qui ob suspicionem affectati Regni, ab Eduardo IV. Angliæ Rege fratre suo, mori jussus, & genus mortis eligere, voluit vino malvatico suffocari? Igitur conjectus in vas H
capacissimum istius vini, tandem submersus fuit. Certè hujusmodi hominum; si modò non amphoræ potiùs, doliave pertusa; sepulchris inscribendum foret, quod extra portam Capenam Romæ inscriptum veteri monumento reperitur:

Heus hic situs est Offellius bibulus, qui dum vixit, aut bibit, aut minxit. Abi præceps. ☞ *Vide Tit. de Epitaphiis.*

PRIVATI, PLEBEI.

De Pontiliano potatore tale circumfertur Epigramma.

Cum rapidus medio desævit in æquore Titan,
Fer puer huc Cyathos, Pontilianus ait.
Cum pluit: en, inquit, Deus admonet esse bibendum,
Qui nunc tam multo protuit imbre solum.
Sic vacua à potu non unquam tempora ducit,
Curque bibat, semper Pontilianus habet.

Aliud de Gallonio luxurioso:

Stertit ad octavam Gallonius, inde cubili
Paulatim assurgens, languida membra levat.
Objicitur perdix, quàm protinus ille calentem
Devorat: hac nulli cesserit arte bibens.

Spu-

A *Spumantis Bromii cyathos octove novemve*
Adjicit, & sacris sic operatus, ait:
Di date mi constantem animum, mentemque quietam.
Quàm multis vita est nostra refertamalis!

Item illud de Pamphago quodam legitur:

Pamphagus in patulam tam multa ingesserat alvum
Quàm poterat denis plus satis esse viris.
Ecce venit caupo, pretiumque expostulat, ille
Ebria terribili lumina more rotans,
Evomit in patiñam vinumque cibosque receptos,
Atque ait: en, merces tu tibi habeto tuas.

☞ *Vide etiam Titulum de Combibonibus, ubi pleraque hujus loci: Ex Titulo etiam de Propinatione, in hunc locum possent transferri. Vtpote ubi qualitas, forma, modus, instrumenta propinandi excutiuntur.*

* EXEMPLA ET HISTORIAE, CUM SACRAE, TUM PROFANÆ, VETERES, ET RECENTES, è quibus usurpatæ Ebrietatis incommoda, pœnæ tristesque eventus eruuntur.

E SACRA SCRIPTURA.

B Noe bibens vinum, inebriatus & nudatus est in tabernaculo suo. *Genes. 9.*

LOTH inebriatus, incestum cum propriis filiabus commisit, &c. *Gen. 19.*

ESAU pro lentis edulio vendidit primogenita sua. Prima tentatio filiorum Israel fuit de potu, secunda de cibo: Et posteà simili occasione multoties peccaverunt. *Gen. 25. Exod. 15. 16. & 17.*

Cœpit Populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. *Exod. 32.*

Dixit Dominus ad Aaron: Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibes tu, & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini. *Levit. 10.*

Quicunque fecerat votum in lege, & se volebat Domino consecrare, à vino & ab omni eo, quod inebriare poterat, abstinere debebat. *Num. 6.*

Flagravit Populus desiderio carnium, sedens, & flens, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? &c. *Num. 11.*

In trecentis viris, qui ad aquas lambuerunt, & moderatè biberunt, liberavit Dominus Israel de Manu Madian.
C *Judic. 7.*

In epulis fiunt homines audaciores, & loquaciores. Inter epulas, & pocula maledicebant Abimelech. *Jud. 9.*

Epulantibus Philistæis, & lætantibus, domus cecidit super eos. *Judic. 15.*

Nolebant filii Heli carnes coctas ab offerentibus accipere: sed crudas, ut eas sibi lautiùs præparent. *1. Reg. 2.*

Comedit Jonathas modicum mellis contra inhibitionem patris, & ideò occisus à patre fuisset, nisi populus occurrisset. *1. Reg. 14.*

AMNON filius David in convivio ab Absalom temulentus fuit occisus. *2. Reg. 13.*

BENADAD Rex Syriæ temulentus, in tabernabulo suo habebat maximam multitudinem bellatorum; & tamen victus fuit & fugatus per pueros principum provinciarum. *3. Reg. 20.*

Comederunt, & saturati sunt, impinguati, & abundaverunt deliciis, in bonitate tua magna: provocaverunt autem te ad iracundiam. *Nehem. 9.*

Prævalet vinum omnibus hominibus, qui bibunt illud, seducit mentem; itemque regis, & orphani facit mentem va-
D nam. *3. Esd. 3.*

HOLOFERNES bibit vinum multum nimis, quantum nunquam biberat in vita sua. Et post pauca sequitur: Erat Judith sola in cubiculo. Porrò Holofernes jacebat in lecto nimia ebrietate sopitus. Qua facta Judith habuit opportunitatem occidendi eum. *Jud. 12. & 13.*

Rex Assuerus, postquam incaluisset mero, voluit uxoris suæ pulchritudinem omnibus ostendere, & velut impurus leno, illius pudicitiam prostituere. *Esth. c.1.*

Egressus est Aman à convivio Reginæ lætus, & alacer; sed in crastino fuit tristis, & confusus, cum decem filiis suis patibulo cruci affixus. *Esth. 5. 6. & 7.*

Noverat Job multa in conviviis peccata. Idcircò postquam epulati fuerant filii ejus, consurgens diluculò, offerebat holocausta per singulos. *Job. 1.*

Pro tempore illo, quo debebat destrui Jerusalem, dicitur: Vocavit Dominus ad fletum, & planctum, ecce gaudium & lætitia. Occidere vitulos, jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur. *Esa. 22.*

Sacerdos, & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt E
à vino, erraverunt in ebrietate. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, &c. *Esa. 28.*

PROLEMÆUS filius Abobi fecit convivium Simoni sacerdoti, & duobus filiis ejus: & cùm inebriati essent, occidit eos. *1. Mac. 16.*

In tentatione Domini secundùm Mat. & Luc. legitur: Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant, &c. *Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4.*

HERODES natalis sui cœnam fecit: filia verò Herodiadis ibi saltavit, & Herodi, simulque recumbentibus placuit, & hac occasione decollatus est Joannes Baptista ad petitionem illius saltatricis. *Matth. 14. Marc. 6.*

Spiritus immundi loca immunda diligunt. Unde dæmoniacus ille, qui habebat legionem in corpore, habitabat in monumentis; & dæmones illi rogabant Dominum Jesum, ut exeuntes immitterentur in porcos, non in boves, vel agnos, qui sunt munda animalia mundo vescentia cibo. *Luc. 8.*

Contra edaces, & comessationibus vacantes, multùm valet exemplum divitis Epulonis, qui conquerebatur, se pati in lingua specialem eruciatum. *Luc. 16.* F

HISTORICA.

EBRIETAS *omnis ætatis, sexus, atque conditionis hominibus exitialis, & noxia. Ideoque olim vetitus vini usus iisdem. Vtpote* PUERIS.

Pueris, & adolescentibus usum vini interdixit Plato ad VIII. usque ætatis annum; usque ad XX. verò moderatum permittit, intemperatum vetat. Causam prioris etiam tangit *Clem. Alexandr. lib.2. cap.2. Pædag.* ne igne igni addito erumpant agrestes, & immanes appetitiones. Unde Avicenna: Vinum pueris præbere, est, inquit, lignis debilibus ignem addere.

SENIBUS.

Adversùs senectutis austeritatem vini Pharmacum, quo velut revivescere videantur, permittit *Plato l.2. de leg.* Dum tamen, ait *Clem. Alex. lib.2. cap.2. Pædag.* rationem & memoriam vigentem, corpusque inconcussum servent. Cur verò senes vino oblectentur, habet *Plut. lib. 1. symp. Problem.7.* & apud *Athen.*

Vina senem cogunt minimè saltare volentem.

MULIERIBUS.

Romulum mulieribus vinum interdixisse, author est *Plin.* G
& Dionys.

Massilienses, & Milesios, vini usum vetuisse fœminis, *Leont. scribit l.3. c.87.* Multa de hoc habes apud *Athen. l. 14. cap. 13.*

Scribit *Isidorus*, mulieribus Romanis nisi sacrorum causa certis diebus vini usum permissum fuisse, *lib. 10. cap. 4.*

Phalecus mulierem Cleo nomine à bibacitate celebrat hoc Epigrammate.

Auratam vestem, & croceam succinctam Lyæo
Ista dedit patri munera magna CLEO.
Symposiis quoniam præstabat: quam bibere æquè
Nullus tentavit vincere, vel potuit.

Atheneus l.10. c.13. tradit rationem, cur Italis mulieribus vinum sit interdictum, multaque in eam rem adfert.

Ignatius Metellus uxorem, quòd vinum bibisset, interemit fuste: quod factum non modò accusatore, sed & reprehensore caruit. *Val. Max. l.6. c.3.*

Quàm sit mulieribus vitanda ebrietas, videatur apud *S. Au-* H
gust. l. ad virgines c.3. Hieron. in l. de virgin. conservanda. Tertull. in Apologet. Ælian. l.2. var. hist. Plin. l.14. c.13. Cicer. l.3. & 4. de Republ.

Quàm severè verò mulieribus vinum interdixit antiquitas,

☞ *Vide loc. de Vino.*

REGIBUS, DUCIBUS, &c.

Exempla habes inter sacra jam memorata, & væ dicitur terræ à Salomone, *Prov. 31.* & *Eccles. 10.* cujus Principes manè comessantur, & bibunt vinum. Ita *Osee 7. Amos 6.* Regibus ebrietas vetatur.

De Solone dictum est in Apophthegm. quòd ebrium Principem morte multarit.

Neq; inscitè mulier illa ad sobrietatem Philippum provocavit, ut ibidem dicitur. Non eum Philippum pro Rege agnoscebat, qui ebrius pro tribunali sederet. Augustus tertiò inter cœnandum visus duntaxat bibere, *teste Suetonio.*

Apud Indos, nunquam Regi inebriari permissum.

Persæ quo die Soli sacrificabant, Regi permittebant, inebriaretur, & ritu patrio tripudiaret. *Vt testatur Athen. l.10. c.11.*

A Vinolentorum Regum exempla plura refert ibidem Athenæus: quantam verò sibi regnisque ignominiam intulerint, variæ historiæ confirmant.

Antiochum in media acie victum & occisum, Arsaces victor hoc dicto in funere decorabat: Fefellit te, ô Antioche, audacia & ebrietas tua; speraveras enim te in magnis poculis regnum bibiturum.

ECCLESIASTICIS.

Qui Ecclesiæ, Religioni, sacrisque rebus præsunt, omninò ebrietatem fugere, ceu pestem, & ordinis sui infamiam debent; unde olim, sub mortis pœna, Aaroni reliquisque sacerdotibus, nè vinum, aut aliud quod inebriare poterat, tabernaculum ingressuri biberent, à Deo vetabatur. *Levit.cap.*19. ut ea ratione discernere & judicare possent, ac populum instruere, ad quæ ebrii inepti sunt. Videatur *August.c.1.l.ad sacras virgines*.

Nazaræis qui Domino erant consecrati, interdicitur usus vini. *Num.c.*6. Isajas c. 28. acriter sacerdotum & Prophetarum temulentiam reprehendit.

Ita in nova lege, Episcopis, Presbyteris & Diaconis, ebrietatis
B fugam commendat *Paulus*; & non eligendos, qui illi vitio sunt dediti, monet. 1. *Timoth.c.*3. *ad Titum c.*1.

S. Hieronym. ministrum instituens Ecclesiasticum: Nunquam, ait, vinum redoleas. *Concil.Agathensis Can.dist.*35. dicit: Ante omnia clericis vitanda ebrietas, omnium vitiorum comes & nutrix. Exstatque elegans eadem de re *Can.ex Conc. Naveton.dist.*44.

Olim in Oriente inhibitum clericis, ne cauponas aut popinas ingrederentur. De quo *Sozom.l.*3.*c.*37. *Socrates l.*5.*c.*18. Est Canon *Conc.Laodic.c.*24. Item Can. *Non oportet, dist.*44.

Petrus Ravennas verè dixit: Ebrietas in laico crimen est, in Sacerdote sacrilegium, quo alter animam suam præfocat, alter se profanat, & sanctitatis spiritum extinguit.

ETHNICIS SACERDOTIBUS VETITUM VINUM.

Item plerisque Hereticis.

Ethnici, solo naturæ instinctu, sacerdotibus suis, vel omninò, vel quando rei divinæ vacabant, à vino abstinentiam indicebant.

Ægyptios sacerdotes à carne, & vino abstinuisse, testis est *Hieron. l.*2. *adverf. Iovinian.*

C *Volaterran.l.*13.*c.*4. scribit, Amphiaraum summum vatem jussisse sacerdotibus, qui responsa clara accipere, & reddere vellent, diem integrum à cibo, à vino autem triduum abstinere.

Hinc apud Trœzenos, *teste Alexand. ab Alex. lib.*6.*c.*2. qui ad aram Adriati sacra facere volebant, præceptum Amphiarai observabant.

Essæos, scribit *Ioseph.de antiq.Iudaica*, & in libello peculiari de illorum vita, à vino abstinuisse: causam dat Philo, quòd vinum esset ἀφροσύνης φάρμακον, i. e. dementiæ venenum.

Severiani, & Tatiani, qui se vocabant ἐγκρατίτας, i. e. continentes, ita vino abstinuisse, ut ne in mysteriis quidem illud adhiberent, sed aquam, ut inquit *Epiphan.*

Encratitas erroris convincit *Clemens Alex.l.*2. *Pædag.c.*2. exemplo Christi, qui & vinum bibit, ut patet ex contumelia quam Judæi illi irrogabant. *Luc.c.*7. & S. Eucharistiam etiam vino instituit.

Manichæi vinum dicebant esse principis tenebrarum, nec mustum gustabant, nec uvas, ut auctor est *Aug. in hæresi*.

Cæterùm, ut superstitiosa est hæc Hæreticorum & Ethnicorum à vino abstinentia, ita omnibus Ecclesiæ ministris tempe-
D rantia illius summoperè est amplectenda. ☞ De qua fusè *Tit. de Abstinentia, Iejunio, & similibus. Item multa habes in loco de Vino, quæ his addi poterunt.*

* PUNITÆ EBRIETATIS EXEMPLA HISTORICA.

Episcoporum. Sacerdotum. Monachorum.

Narrat *Greg. Turonensis lib.*5.*hist.Francorum c.*40. de Eonio Episcopo Andegavensi, potationibus dedito, quomodo legationis causa ad Britannos à Rege missus, tandem ejus jussu (erat tum Rex Galliarum Clodovæus) ut Andegavi è publico sustentaretur, jussum est. Qui Parisios adveniens, die Dominico solemnia celebraturus, emissa cum hinnitu voce terribili, in terram corruit. Erumpebat autem ab ore, & naribus ejus sanguis; ac inter manus clericorum deportatus, mox convaluit. Erat autem vino, & ebrietati usque adeò deditus, ut vix gressum figere valeret, aut mentis compos persisteret.

*Thom. Cantipratens.in Apiar.l.*2.*c.*12.*n.*5. Ioquens de Prælatis, qui lautiùs vivunt, quàm par sit, hoc affert exemplum, quod suo tempore in Francia contigit. Erant, inquit, duo senes Monachi, ab ipsis puerilibus annis pares in scelere, dissoluti valdè, in monastica observantia enutriti. Hi sibi plures ex juvenibus, in immunditia assidui, quotidie copulabant, E seorsum vacabant epulis, risibus & cantibus exultabant, innocentibusque ac simplicibus detrahebant. Cùm de eorum insolentiis Conventus quotidie non mediocriter turbaretur, nec esset qui corrigeret delinquentes, vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est. Vix enim finit turbationem piorum claustralium inultam. Accidit igitur quodam vespere, ut secundùm consuetudinem suam esculento ore ad voraginem inhiarent. Vix ori cibis appositis quartum aut quintum morsellum manus obtulerat, cùm ecce unus prædictorum senum subita ingluvie strangulatus, eversis statim oculis expiravit. Territi igitur omnes, qui consederant, surrexerunt. Nec diù post superstes vetulus, socii animadversione non fractus, licèt ad movimentum horruisset, sicut porcus occiso à carnifice porco, resumpta audacia, resedit ad mensam. Et cum enormi crapula sic est repletus, ut amens penitùs porraretur ad lectum, & quasi brutum animal exspiravit. Horrore ergo omnes exemplorum talium perturbati, vitam suam & mores in melius mutaverunt, communemque vitam, & cibum strictissimè servaverunt.

Aliud huic per omnia simile referam, quod etsi recenti fe- F
rè memoria multis notissimum, sine horrore tamen nequit memorari. Loci nomen taceo. In Flandriæ Comitatu Prioratus est: Tres ibi nomine tenùs monachi degebant, re ganeones & concubinarii: sita cuique erat, nec pudor illus aderat, simul helluari & libidinari: quadam die in seram noctem compotatione protracta, unus, qui minùs scelerosus: Sat, ait, Baccho Libidinique datum: Deo gratias saltem. Ego verò, subinfert alius procacior, Cacodæmoni, gratias ago, & agendas censeo, cui operamur: & cum risu mensa relicta, ruit in cubicula. Singuli cum sorto vix decubuerant: ecce ibi in triclinium, vi janua reserata, dæmon magni, atri, & trucis viri specie, habitu venatorio, & cum eo coci duo parvuli: obambulat, & lectos circumspicit torvo vultu, deinde horrenda voce: Ubi qui mihi gratias egit? adsum, referam. Lecto abstrahit pavitantem, & fermè præ metu animam efflantem. Traditum cocis jubet infigi veru, & luculento igne probè assari. Parent promptè: assatur infelix, emoritur planissimè, cæteri ferè præ formidine; assi corporis nidore cubiculum impletur. Demum venator ad superstites sub stragulis trepidantes vix vivos: Digni vos etiam, ait, pari supplicio, nec de- G
est voluntas mihi. Vetor vi majore. Invitus abeo, & moneo respiscite, aut manent terribiliora. Disparent larvæ: nec tamen his aliis animus rediit, vel vox, nisi clara jam luce. Ubi surrexere, collegam inveniunt mortuum, & (ne visum inane putes) plenè assatum. Haud scio, an ab aliquot fœculis quidquam ad exemplum utilius acciderit: scio locum, & Ordinem, sed utrumque silentio involvo. *P. Marin. Delrio tom.* 2. *Disqu. Magic.lib.*3.*p.*1.*q.*7.

Cùm princeps tenebrarum mille habeat artes nocendi, quid nuper gestum fuerit, pandam. Vennocus Britto, Presbyterii honore præditus, tantæ se abstinentiæ dedicavit, ut indumento de pellibus tantùm uteretur, cibum de herbis agrestibus incoctum sumeret: vini verò tantùm vas ad os poneret, quod magis putaretur libare osculo, quàm haurire. Sed cùm eidem devotorum largitas frequenter exhiberet vasa hoc plena liquore, didicit, quod pejus est, extra modum haurire, & in tantum dissolvi potione, ut plerumque ebrius cerneretur: unde factum est, ut invalescente temulentia, tempore procedente, à dæmonio correptus, per energiam vexaretur, in tantum, ut accepto cultro, vel quodcunque teli genus, vel lapidem aut fustem potuisset arripere, post homines insano furore discurrere: unde necessitas H exegit, ut catenis vinctus custodiretur in cellula. In hac quoque damnatione per duorum annorum spatia debacchans, spiritum exhalavit. *Greg. Turon. hist. Franc.l.*8.*c.*34.

IMPERATORUM, ET ALIORUM.

Cùm Michael Imper. III. se vino ingurgitare consuevisset, quo tempore ebrius erat, absurda multa fieri imperabat: alii enim aures amputari, alii nares, alii caput; quæ fieri Basilius vetabat, non tam aliis, quàm sibi metuens. Ut igitur sibi ipsum obstare Michael novit, contra ipsum tales molitur insidias. Cuidam præcepit, ut hastam jaciat verbo contra feram, sed re contra Basilium; idque planè factum est. Non moritur. Is qui jussus fuerat id facere, rem confessus fuit. Jecit igitur hic hastam, sed aberravit, atque Basilius servatus est. Servatus autem studuit potiùs aliquid committere, quàm ipse pati: & ita Michael occiditur ad palatia divi Mamantis, anno sexmillesimo septuagesimo tertio, hora noctis tertia. Sed quomodo necatus sit, Zonaras ita rem narrat. Basilius de inferenda nece Michaeli consilio cum aliis communicato, cùm denuò Michael vino in cœna obrutus

A obrutus torperet: manuque ductus in cubiculum Regiæ, quę est ad Divi Mamantis, somno profundissimo oppressus jaceret; egressus primùm claustra cubiculi Imperatorii confregit, ne fores à cubiculariis claudi possent, deinde cum conjuratis advenit. Iis autem, qui ante cubiculum excubabant, paucis adeò percussores aditu prohibere conantibus, orto tumultu Imperator experrectus, quidam cum strictio gladio manus sustulit, quibus illi ambabus refectis, ad cæteros rediit. At Michael cum ex vino titubans, ebrietate impediente, fugere non posset, miserabiliter ejulans jacebat. In quem alius quidam ex Basilianis, adhuc eum vivere conspicatus, insiliit, ensemque ita in ejus pectus adegit, ut ventre etiam trajecto, intestina elaberentur. *Ex Curopal. & Zonar. Baron. tom.*10. *an.*867.90.

Zeno Imperator Orientis, gulæ & ebrietati deditus, errore mentis sic affici solebat, ut prolapsus, à mortuo nihil differret. Cùm verò ipsi etiam conjugi Ariadnæ invisus esset, sic inebriatus pro mortuo in monumentum Imperatorium ab illa conjectus est, lapide maximo, qui pro operculo esset, impositò; factusque sobrius, inter lamentationes & ejulatus mi-
B sera & horrenda morte extinctus est, cùm Ariadna prohibereret, ne quis monumentum aperiret, aut illum curaret. *Io. Zonar. tom.*3. *Annal.*

Potest hic interseri exemplum horrendum, quod Michael Isselt refert contigisse an. 84. in Apeldom Velvæ pago. Duo nobiles Germani, inquit pag. 1191. ordinibus militantes, inter se convenerant, ut vino adusto sese tamdiu ingurgitarent, donec alter illorum expiraret. Si quis prior surgeret, in eum diabolus potestatem haberet. Accidit, dum strenuissimè hac lege potarent, mercatorem illac fortè transire, quem, ut se tertium adjungeret, coegerunt. Invitus ille huc inductus est, mortifque metu. Paulò post malignus spiritus ingressus locum ubi sedebant, utrique cervicem fregit. *Pet. Thyræus de locis infestis*, *p.*1. *c.*19. *ex Mich. Isselt. an. Dom.*1584.

Magis horrendum, quod refert *Thom. Brabantin. l.*2. *Ap. c.*56. *p.*2. Sedebant, inquit, viri quidam in taberna, honesti quantum ad sæculum, & bibebant: Et cùm incaluissent mero, cœperunt conferre de diversis ad invicem, & invectus est sermo, quid futurum sit post hanc vitam. Tunc unus: Vanissimè, inquit, à Clericis istis decipimur, qui dicunt
C animas sine corporibus vivere post ruinam. Hoc dicto, omnibus in risum concitatis, advenit homo statura fortis & magnus, & ridens cum illis, vinum postulat, bibit, quæritque, quis sermo sit inter eos? De animabus, inquit ille qui supra. Si quis esset qui meam vellet emere, foro optimo daremeam, & de pretio ejus in communi omnibus ad bibendum. Tunc eachinnantibus omnibus, ille qui supervenerat: Talem, inquit, mercatorem quæro, paratus sum eam emere, dicito, quanti, dabis. Et ille elato vultu: Tanti, inquit. Mox convenientibus eis in pretio, solvit emptor statim pecuniam, & lætantibus omnibus, biberunt pleno calice, non curante ad primum illo, quòd animam suam vendidisset. Vespere autem facto: Tempus est, inquit emptor, ut quisque nostrum ad propria revertatur. Vos tamen, antequam separemur, date judicium: Si quis equum emerit capistri vinculo alligatum, nunquid cum equo in jus ementis cederet & capistrum? Cui omnes pariter responderunt: Utique cederet. Nec mora, venditorem, quęstionis & responsionis horrore trementem, emptor cum anima & corpore, videntibus omnibus, sursum levavit in aera, & secum, ut certum est, ad inferna pertraxit, diabolus enim erat in
D hominis specie. Quis enim alius se animarum diceret mercatorem, nisi ille, in cujus figura olim ab Brahamdictum est: *Da mihi animas, cætera tolle tibi?*

Phocas Imp. cum eo die, quo ludi equestres peragebantur, in edendo & bibendo modum excessisset, à plebe per ignominiam verbis hujusmodi notatus est: Rursus è canco [poculi genus est, à sono quem edit, effluente vino simul & aere] bibisti, rursus mentem amisisti? Ob id convicium complures morte multavit. Itaque quum viderent proceres ac magistratus Reipublicæ, magnam hominum multitudinem multis affici malis, bona per publicationem adimi, capita præcidi; ad Aphricę prętorem Heraclium litteras mittunt, qui precibus eorum motus, continuò classem parat, & contra Phocam proficiscitur, adferens secum illam imaginem Christi, quæ manibus facta non erat. Hoc modo Phoca superato, Photinus quidam, unus ex Magnatum numero, cujus uxoris pudicitiæ Phocas antea struxerat insidias, subitò in palatium irrupit, & Phocam Imperatorem pulla veste indutum mox ad Heraclium deducit. Qui quum Phocam verbis hisce compellaret: Itane, miser, Rempublicam administrasti? Respondit Phocas: Tibi verò per me licet, ut rectiùs eam geras. Hinc ei recta manus & pedes am- E
putati, cutis dorso detracta, exsecta verenda & hastæ adfixa, caput denique gladio recisum: reliquus corporis truncus in foro, quod Boarium nuncupant, per contumeliam hinc inde tractus, tandem igni traditur. *Michael Glycas* 4.*p. Ann. Byzant.*

Anno Domini 912. Alexander Imper. sexta die mensis Junii moritur infami exitu: De eo enim ita Jo. Curopalates: Alexander autem sexta die mensis lotus & pransus vinoque ebrius post meridiem pila lusurus descendit, exortoque labore quodam in ipsius intestinis, præ cibis, quibus se ingurgitaverat, atque ebrietate, reversus in palatium, multo è naribus ac pudendis effuso sanguine, postridie mortuus est. *Ex Ioan. Baron.to.* 10. 912.

Cum adhuc parvulus essem, inquit Serapion Abbas, & cum Abbate Theona commanerem, hæc mihi fuerat inimici impugnatione consuetudo feralis ingesta, ut postquam me refecissem hora nona cum Sene, unum paxamatium quotidie in sinu meo latenter absconderem, quod ferò, illo ignorante, occultè comederem. Quod furtum licèt conniventia cogitationis, & inoliti semel desiderii incontinentia sine cessatione F
committerem, expleta tamen concupiscentia fraudulenta, ad me ipsum revertens, super admisso furti crimine graviùs cruciabar, quàm super esu ejus fueram jucundatus. Cumque illud molestissimum opus, velut ab exactoribus Pharaonis indictum mihi vice laterum, singulis diebus explere non sine cordis mei dolore compelleret, nec tamen eruere me possem ab hac eorum sævissima tyrannide, & clandestinum furtum Seni manifestare confunderer, contigit Dei nutu, de hoc me captivitatis jugo volentis eripere, ut quidam fratres cellam Senis obtentu ædificationis expeterent. Cumque refectione transacta, collatio spiritualis agitari cœpisset, respondensque senex propositis interrogationibus eorum, de gastrimargiæ vitio & occultarum cogitationum dominatione dissereret, earumque naturam & atrocissimam vim, quam haberent, donec celarentur, exponeret, ego collationis hujus virtute compunctus, & conscientia redarguente perterritus, velut qui crederem ob hoc ea fuisse prolata, quòd Seni Dnus secreta mei pectoris revelasset, in occultos primùm gemitus excitatus, deinde cordis compunctione crescente, in apertos singultus lacrymasque prorumpens, paxamatium, quod consuetudine vitiosa subtraxeram, G
clanculum comedendum, de sinu furti mei conscio & suscepto-re produxi: eumque in medium proferens, quemadmodum quotidie latenter ederem, prostratus in terram, cum veniæ postulatione confessus sum, & ubertim profusis lacrymis, ut absolutionem durissimæ captivitatis à Dno poscerent, imploravi. Tunc Senex: Confide, ait, ô puer, absolvit te ab hac captivitate, etiam me tacente, confessic tua. Victorem namque adversarium tuum hodie triumphasti, validiùs eum tua confessione prosternens, quàm ipse fueras ab eo tua taciturnitate dejectus, &c. Necdum Senex hæc verba compleverat, & ecce lampas accensa de meo sinu procedens, ita cellam replevit odore sulphureo, ut vehementia fœtoris ipsius vix in ea nos residere permitteret, &c. *Cassian. collat.* 11. *c.*11.

Quid paucos ante dies homini lusui & poculis addictissimo contigerit, hic minimè prætereundum. Hic cùm rem omnem in lusu & popinis consumpsisset, eum aliquando potitantem adivit uxor, rei domesticæ penuriam expositura; sed sic illam verberibus excepit, præsentibus compotoribus, ut ceu mortua sit ibi relicta. Misera tandem resurgit, ac domum reversa occurrit duobus puerulis, qui hinc inde illius vestem apprehen- H
dentes, vociferabantur: Da panem, Mater: Mater, fame perimus: jam biduum est, ex quo nihil sumpsimus. Ah, pueri mei, undenam habebo? Pater vester expendit omnia. Quid agendum? Præstat semel mori, quàm sic fame languere; & una morte mille mortes redimere. His dictis, velut desperabunda, confestim arripit cultrum, quo utrumque jugulat. Sub crepusculum verò noctis maritus domum reversus, ebrius, & reliqua substantia exhaustus, lecto se committit. Quem ut somno sopitum vidisset, eodem cultro ea audacia, qua Judith Holoferni, etiam marito caput amputat: Morieris, inquit illa, cùm perversa tua vivendi ratio sit tua ipsius, & mea & puerorum nostrorum ruina. Re palam facta, ipsa à Magistratu comprehensa, facti veritatem fatetur. Et tandem morti adjudicata, supplicium libenter subit, habita priùs ad conjugatos monitione, ne sic sua in aleis & tabernis dissiparent. En ut gula cum alea his quatuor mortem intulerit. *Io. Benedicti. l.*3. *suæ Sum.c.*7. *in Appendice*.

Huic aliud recentius subnectam. Duo homines veniunt Nekerovium, qui in Germania pagus est: ingressi hospitium potum petunt. Famulus admodùm obsequiosus, recens vinum

promit, sed tenue, quale est hornanum. Gustatum, non arridet, ideò aliud quærunt, quantumcunque carum. Puer morem gerens, vetus adfert, quod priore gratius fuit. Unde cyphis inter se certare, cachinnari, debacchari ac deliciari. Quid eduliorum deesset, novit Deus. Postquam verò ita deliciis indulsissent, certatimque poculis sæpiùs sese consaluassent, eorum alter audacior, alteri dixit: Cui nunc præbibam? da consilii aliquid, rogo. Quàm stupidus es, ait alter: Deo præbibe, tum videris, quid responsurus sit. Vitrum arripit miser, vino implet, atque his verbis: Deus, inquit, præbe aures si vis, tibi cypho pleno præbibo ac præmoneo, ut postquam bibero, mihi satisfacias; sin, mihi injuriam feceris. Sed de quo infundam, socium interrogat, ut mihi satisfaciat? Utrumque tibi est, ait ille, & vetus & novum; de utrolibet infunde. Infundam igitur hornanum, licèt recens & crudum, sat tamen ipsi bonum. Manu itaque cyphum accipiens, & quasi volens Deo præbibere, ait: Tibi Deus: Responde, merum si tibi arriserit: si enim hoc anno fecisses melius, bibisses. His dictis, manu cyphum tenens, confestim irriguit omnis sensus expers. Qui quamvis oculos clauderet ac aperiret, ne verbum tamen effutire, vel respirare poterat. Eo miraculo socius deterritus, celeriter fugam capit; præsentes verò viri casum attendentes, quibus potuerunt modis, eum loco amovere conati sunt, sed frustra. Itaque Scabinos invocant, qui cùm advenissent, hominem funibus ligatum, à tribus equis extrahi curant. Quod quidem factum, at nihil effectum: nullo enim modo inde amoveri poterat. Quo circa Magistratus id judicio Dei fieri agnoscit, qui rem impossibilem, & admirandam ita facere potest, ut hominum mentes facilè superet. Re seriò examinata, ac veritati prorsùs consona, allatus est ignis ad incendendum hospitium unà cum potatore illo Dei Opt. Max. contemptore: sed frustra: non enim accendi potuit. Atque ita mansit ille aliquanto tempore immobilis, non loquens, neque bibens aut manducans. Ubi à plurimis sæpe facilè videri potuit, & visus est. Gabriel Prateol. *tom.2. Chron. an.*1580. 24. *Iul.*

* EBRIETATIS PORTENTUM.

Audivi, Domino teste, non mentior: (inquit D. Hieronymus) Quædam muliercula cùm expositum nutriret infantem, & instillaret cibos, ac nutricis officio fungeretur, cubaret que cum ea parvulus, qui usque ad decimum jam pervenerat annum: accidit, ut plusquàm pudicitia patitur, se mero ingurgitaret, accensaque libidine, obscænis motibus ad coitum induceret infantem. Prima ebrietas alterius noctis & cæterarum deinceps fecit consuetudinem. Necdum menses duo fuerant evoluti, & ecce fœminæ uterus intumuit. Quid plura? dispensatione Dei factum est, ut quæ contra naturam simplicitate parvuli in contemptum Dei abutebatur, à naturæ Domino proderetur: impleto sermone, quo dicitur: Nihil occultum, quod non reveletur. D. Hieron. *Epistol. ad Vital. tom.1.*

Isdus vino deditus, cùm pœnitentiæ beneficio naturam tandem vicisset, & ad sobrietatem se revocasset, candidum dicitur adolescentem per quietem vidisse, qui eum prehensa manu ad compotatorum cœtum conviviumque deduceret: ibi animadvertisse eorum, qui accumbebant, vultus, primo quoque poculo hausto, mutari, deformesque fieri; qui verò pergerent perportare, & crebris poculis indulgerent, eos fœdissimo ore, similimosque dæmonum evadere: dixisseque adolescentem, tales effici eos, qui se vino & ebrietatibus dedissent: Indus autem sobrius esse cœpisse, & incredibilem quendam temperantiæ amorem dicitur animo concepisse. *Ex lit. an. Soc.* 1586.p.199.

Recentissimum istud est, quo *Mich. ab Isselt. l.12. Merc. Gal. Belg. an.*1595. scribit accidisse an.1595. Baccharach, inquit, oppidum est in ipsa Rheni ripa inter Constantiam, & Moguntiam situm, quod quidam Bacchiarias vocant, ex vini præstantissimi nobilitate longè latèque celebre. Hic 14. Martii natum est monstrum horrendum & maximè prodigiosum, anteriore superioreque parte homini, posterioreque serpenti simile, caudam habens tribus ulnis longam; nec diutiùs vixit, quàm quoad munere suo, propter quod missum erat, perfunctum esset. Cum enim pater, homo impius, contemptor Dei & hominum, ebriosusque, Dominica Quinquagesimæ in cauponam abiisset, ut secundùm consuetudinem suam ad vomitum potaret, luderetque aleis, & omnem improbitatem exerceret; uxor verò illius partui vicina, eum secuta admoneret, ut ab ista impietate abstineret, homo impius non tantùm monitricis verba contempsit, sed eam miserè percutiens, præcepit, cum vivo suo dæmone, quem utero gereret, & qui illi in partu opitularet, domum concederet; si non pareat, se gladium suum capulo tenùs in ventrem illius impacturum. Illa verò: Eja, mi vir, egone vivum gero dæmonem? Esto igitur; nec plura locuta, domum reversa est, maritum inter combibones aleatoresque relinquens. Cùm domum venisset mulier, dolores partus sensit, & terribile hoc monstrum, omnibus qui aderant, horrorem incutiens, peperit. Phæax autem ille cùm libidinem suam potando, ludendoque satis expleisset, & ipse domum rediit, ingressusque est, ubi & puerpera & partus jacebat. Monstrum instar falconis in eum illatum sibilans, caudæ suæ implicatum hominem venenosis ictibus eum in modum pupugit, ut toto corpore tuberibus contusionibusque pleno, paulò post infelicem animam exhalaverit. Marito mortuo, puerpera quoque extincta est, & tandem monstrum vivere desiit.

* EXITIA VARIA.

Quòd si recentibus exemplis vetera inserere fas, producendus erit Alexander M. qui sepulto Calano ludo, multos amicorum vocavit ad cœnam: certamenque instituit poculorum, proposita corona ei, qui plus bibisset. Victor certaminis hujus Promachus fuit, qui ad IV. choas processerat, præmiumque retulit talentum: ad triduum duntaxat supervixit, & ex compotoribus XLI. extincti: refert *Chares Mityleneus l.* 10. *cap.*12.

Antiochus Rex à sodalibus, quos in convivio temulentus pulsaverat, occisus fuit. *Plin. c.*54. *de vir. Illust.*

Maximinus Imperator, ut scribit Eusebius, ingurgitationi deditus, multa potus fieri præcipiebat, quæ sobrius non facta voluisset, *lib.*8. *c.*16. *Eccles. histor.*

Lepidum est, quod de Juvenibus quibusdam *Athen.l.2.c.* 1. *Dipnos.* observatum commemorat. Hi, inquit, præ ebrietate amentes, vino calefacti, eò dementiæ venerunt, ut se in triremi navigare, & mari procelloso committi arbitrarentur. Deinde omnem supellectilem domo ejecerunt, quòd putarent navim exonerandam, ne tempestate absorberetur. Duravit ea insania aliquo tempore, & domus illa nomen triremis obtinuit.

S. August. (vel quisquis est auctor *sermonum ad fratres in eremo*) pro concione dixit. Accidit hodie tertibilis casus, ut omnes audistis, propter quem ad Ecclesiam Hipponensem etiam fœminas & infantes congregari præcepi. Ecce præclarissimus civis noster, & ferè dilectus ab omnibus, Cyrillus filium habebat, ut scitis, quem corrigere nolebat; & luxuriosè vivendo, consumpsit partem bonorum suorum. Sed ecce hodie ebrietatem perpessus, matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, & duas sorores vulneravit ad mortem.

Cæterùm ingeniosum Phrygis cujusdam (Auli) temulentiam, refert *Majolus in dieb. Canicul. col. de aula*, carmine decantantem:

Ebrius in sacra Pryx obdormiverat Æde,
Condere jam currus sole parante suos.
Omnibus emissis, illo stertente relicto,
More suo fanum clauserat adituus.
Noctis erat medium, cum somno expergitus Aulus,
Occlusas Adyti comperit esse fores.
Heu quid agat? clausis quæ spes evadere valvis?
Hinc vectes obstant, pessulus inde frequens.
Sicne igitur duranda sitis, & gutture sicco,
Tam procul à tina nox vigilanda mihi?
Ab pereat potiùs templorum quidquid in urbe est,
Quàm fleat absentis ulla lagena moras.
Dixerat, & vultus dum versat in omnia, casu
Suspensum ad funem lumina flexa tulit.
Consilium hinc, uti Thrax in arena ex tempore sumit
Campano auxilium promptus ab ore petens:
Scilicet, ut nola summæ de culmine turris
Incendi clara signa sonante daret.
Quod simul auditum: Situlas date, vellite scalas,
Ferte & aquam, tota clamor in urbe fuit.
Auxilium tectis quasi ferre ardentibus optans
Plebs ruit: haud uno fonte replentur hamæ.
Has inter turbas qui tintinnabula movit,
Miratus custos, ad sua templa volat.
Portam aperit: prodit motor nolæ ille, quadrantas,
Et totum modo non œnophorum sitiens.
Ridet, & auxilium mihi das tempore, fatur,
Digne adyta, ò custos, qui tueare diu.
Et benè quòd nolæ sonitum simul exaudisti,
Ipse tuis Divis fers miseratus opem.

Nam

Nam nisi venisses, incendia magna videres,
Sicca adeo (ah) nobis presserat ora sitis,
Torridaque ossa vapor, sed aqua cui restinguendo
Haud opus; ardori nil facit illa meo.
Quò tot hamæ scalæque? apage hinc anabatra: referte
Vasa domum: una meri his ignibus urna satis.
Hactenus: & notæ repetit Phryx lustra popinæ.
Quàm dispar sacris ædibus ille locus!
Sic pavor in plausum versus: gaudentque cachinnis
Cives, quæsitam sic sibi materiam.
Personat urbs risu, data amat sibi verba, diuque
Tritior in populo fabula nulla fuit.
Nostro aquum tamen errori te ignoscere: frustra
Clamabamus aquam, dum cupis, Aule, merum.

Exstat etiam Historia, rara tamen, de Glabrione quodam per causam somnolentiæ, hesterna crapula vitæ reservato:

Forte extra muros gens mane coiverat urbis,
Queis studium alterius religionis erat:
Fatidicique frequens pendebat ab ore ministri:
Quum subito irrupit vi Guisianus eques.
Quid faciant, inter saxumque & sacra locati?
Quid contra armatos cœtus inermis agat?
Hinc Psalmi, hinc scloperta sonant: ceu victima ad aras
Dat jugulum gladiis cum grege Præco suo.
Hunc numerum acturus erat quoque Glabrio, si non
Pressisset madido lumina victa sopor.
Tam male succedat sua queis vigilantia, pauci:
Tam bene cui cedat crapula, rarus erit.
Et cui adhuc siccas lubeat perducere noctes?
Quemve dehinc poclis abstinuisse juvet?
Si nimia ebrietas Glabrioni causa salutis,
Sobrietas sociis excitiosa fuit?
Laus, Lenæe, tibi natisque in tempore somnis.
Quid? non hoc potius nox agitanda modo,
Hostiles sedare suo quàm sanguine cultros?
Nempe mero hic, ferro pars reliqua icta jacet.
O fortuna potens, hocne edormire phalernum,
Temeto curas hoc jugulare fuit?
Quid mihi cum Nymphis? Bacchi colere origa malo,
Sobria vita vale, me bibulum esse juvat.
Istorum exemplo queis nil nisi pocula cordi,
Et matutino victa sopore sitis?
Quid? procul ab crudos calices removete ministri,
Non hæc pocla mihi, pocla salutis erunt.
Scilicet eventu simili qui stertere possit,
Tam bene cui Bacchus cedere, rarus erit.

*Ex Majoli colloquio de aula & caula, Tom.*1. *Dier. Canicul.*

---

* Ecclesia.

ETYMOLOGIA ET DEFINITIO IN GENERE.

Ecclesia, Græca dictio est, ἐκκλησία, Hebr. *Kahal*, congregavit: propriè dicitur de congregatione hominum per convocationem facta. Idem cognationem habet cum *Kol*, id est vox, & *Leket*, id est collectio. Græcis, καλέω voco, συγκαλέω convoco, ἐκκαλέω evoco, accersio, ἐκκλησία, Ecclesia, concio, congregatio hominum vocatorum ad aliquid audiendum. Vocabulum ἐκκλησία fuit apud Græcos celebre atque usitatum, significans propriè cœtus hominum è suis sedibus in alium locum convocatorum ad aliquid audiendum. Hinc mutuo sumptum est nomen, atque ad sanctiorem usum traductum. Rei quam significat, aptissimè convenit: quia nihil aliud est Ecclesia, quàm cœtus hominum evocatorum. Qui enim ad veram Ecclesiam pertinent, ex hoc mundo, idest hominibus qui in mundo versantur, in unum corpus & quasi Rempublicam sanctam evocantur. Nulli in hunc numerum per se, proprioque instinctu veniunt, nisi evocati à Deo: nulli suis viribus freti, sed omnes, quotquot veniunt, à Dei gratia præveniuntur. Ideòque *S. Paul.* toties nominat Christianos κλητοὺς, id est vocatos, in omnibus Epist. Communiter autem, prout hodie de Ecclesia loquimur, definitur: Visibilis hominum cœtus, ejusdem Christianæ fidei professione & sacramentorum communione, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius in terris Christi Vicarii Romani Pontificis colligatus. Colligitur *ex Bell. l.* 3. *Tom.* 3. *Controv.*

☞ *Pleniorem tamen illius descriptionem dabimus infrà hoc eodem Loco, post Notas ejusdem.*

ACCEPTIO VOCIS.

Ecclesia Latinis, Græcis ἐκκλησία nomen accipitur. Primò, pro loco, ubi conveniunt homines religionis ergo, *Deut.*23. 1. *Judic.* 20. 1. *Cor.* 11. & 14. Secundò, pro familiæ alicujus domesticis fidelibus. *Rom.*16. *Cor.*16. *Col.*4. 15. Tertiò, pro cœtu unius provinciæ. 1. *Reg.*8.14. *Act.*9. 31. & 11. 26. & 12. 1. & 13.1. & 15.1. & 19. 32. & 20.17. *Rom.*16.2. 1. *Cor.*1.2. & 16.1. 2. *Cor.*8.2. *Gal.*1.2.2. *Thes.*1. *v.*1. & *c.* 1. *Pet.*5.13. *Apoc.* 21. & *c.* 3.1. Quartò, pro insigni aliquo credentium, verboque, ac Sacramentis simul communicantium cœtu: *Act.* 28. 1. *Cor.* 11. 22. & 14.4. *Gal.* 1.13. Quintò, pro cœtu fidelium frequentissimè. Sextò, pro universa fidelium per totum terrarum orbem diffusorum multitudine. Septimò, pro senatu Ecclesiastico: *Matth.* 18.17. quia nimirum cogitur nomine totius Ecclesiæ. Alibi vocatur à Paulo Presbyterium, seu Collegium Seniorum. 1. *Tim.* 4.14. *D. Ignat. Ep.*9. *ad Ant.* Collegium Presbyterorum vocat. Observandum autem est, Ecclesiæ vocabulum unico hoc saltem novi testamenti loco (*Matt.* 18.17.) de Judæis dici, quorum alioquin generales cœtus peculiari nomine solent Synagogæ appellari: quamvis Græci interpretes idem vocabulum attribuunt eorum congregationi, etiam in Vet. Test. 1. *Par.* 13. *v.* 2. 9. Euangelista itaque pro Seniorum collegio, dixit Ecclesiam. Lucas autem Presbyterium populi: *Luc.* 22. 66. *vide Marc.* 5. 22. Octavò, pro civium conventu, seu multitudine in Theatrum concurrente. *Act. c.* 19. *v.* 32. juxta interpretationem Syriacam.

Accipitur etiam quandoq; in malâ partem, ut in illo *Ps.*25. *v.* Odivi Ecclesiâ malignantium. Quamvis nunc usus obtineat, ut sacram quandam & fidelium tantùm multitudinem significet.

Quod ergò ante legem significabat Arca Noe, & familia Abrahæ; quod post legem fuit domus Jacob, Cathedra Moysis & Synagoga, hoc post adventum Christi significat Ecclesia. Cujus rationem adfert *S. August. Enarrat. in Psal.* 81. ut distingueremur à Judæorum Synagoga.

DIVISIO IN TRIUMPHANTEM ET MILITANTEM AC UTRIUSQUE VARIA ACCEPTIO.

Ecclesia nonnunquam accipitur pro Triumphante in cœlo multitudine, quam Apostolus vocat *ad Ephes.* 5. Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, neque rugam. Quæ dicitur regnum Dei, Jerusalem sancta, in qua non amplius est dolor aut luctus: & dicitur tota pulchra, *Cant.*4.

Sæpiùs verò significat Militantem adhuc sub cultu veri Dei multitudinem. Idque iterùm vel prout complectitur universam fidelium multitudinem, ab initio orbis usque in finem recta fide Deum colentium: estq; ea vinea, quam malè excultâ à Judæis, excolendam dedit Christus Gentibus, & dividitur in novum, & veterem populum, ut benè *Aug. cont. duas Ep. Pelag. lib.*2. *c.*4.

Vel ut significat Ecclesiam novi Testamenti, quam Christus vocat Regnum cœlorum, quamque suam dicit, *Matth. c.* 16. dum illi fundamentum & petram substernit Petrum.

Sed & hæc variè accipitur. Aliquando pro tota multitudine fidelium, & ovium & pastorum, ut *Matt. c.* 16. & *Act. c.*5. Interdum pro solis pastoribus & prælatis, *Matt. c.* 18. dum vult Ecclesiam audiri. Aliquando pro ovibus dumtaxat, *Act. c.* 20. ubi dicuntur missi Episcopi à Spiritu S. ad regendam Ecclesiam Dei. Denique vel notat multitudinem ubique gentium dispersam, ut cum dicitur esse columna & firmamentum veritatis, 1. *ad Tim. c.*3. vel privatam & particularem, ut v.g. Ecclesiam quæ est Corinthi. Usurpatur etiam pro Ecclesia materiali, loco scilicet sacro, in quo divina mysteria peraguntur, estque idem quod templum; de quo agemus suo loco, nunc verò de vera Christi Ecclesia in terris tractabimus.

ERRORES CIRCA ECCLESIAM DESCRIBENDAM.

Cum primùm Luther ex Ecclesiæ gremio se projecisset, & ad cathedram pestilentiæ novus Doctor dilapsus esset, statim hæreticorum mores induit, ut Ecclesiam, cujus se filium venditabat, occultam diceret. Fuisse autem omnium hæreticorum errorem, constat ex B. Aug. *lib. 2. c.* 36. *de ser. Dom. in monte*, & *in Psal.* 31. Quocirca confessio Augustana eam definivit, Congregationem membrorum Christi: Hoc est illorum qui verè credunt, & obediunt Christo. Unde alii dixerunt, Ecclesiam esse cœtum prædestinatorum. Alii verò, nempe Anabaptistæ, solos puros & perfectos ad Ecclesiam pertinere, ac seipsos pro talibus venditant. Dehinc autem quinque graves errores circa Ecclesiam eliciuntur, quos opposita veritate prosternere non est difficile. I. quòd ex solis prædestinatis constet. II. quòd ex solis actu bonis. III. quòd ex solis perfectis. IV. quòd sit paucorum. V. quòd invisibilis & occulta.

Non soli prædestinati ad Ecclesiam pertinent. Contra Vuiclef, Hus, Calvinum.

Ecclesia comparatur *Matt. c.* 3. Areæ, in qua est triticum, & paleæ